

Explica pondera vocabulorum in articulo:

„Credo remissionem peccatorum“.

Primum testificatio est de fide, qua unusquisque firmiter statuere debet, quod sibi in hac [82:] vita credenti certo detur remissio peccatorum, contra dubitationem pontificiam. Deinde cum peccata nominantur plurali numero, confirmatio est dulcissimae consolationis, quod omne 5 peccatum remittatur videlicet agenti poenitentiam et fide amplectenti promissionem gratiae certo ratae propter Filium Dei.

Tertio vox remittendi docet non tantum donari culpam, sed etiam poenam aeternam. Nam remittere est liberare a culpa et poena aeterna. Et haec relatio praecipue comprehenditur in vocabulo remissionis videlicet solutio obligationis ad aeternam mortem et damnationem et 10 debitae poena condonatio. Quarto: Quia symboli recitatio fit quotidie, intelligatur remissio peccatorum de continua remissione etiam postquam renati sumus, et sciant etiam renati semper in hac vita manere reliquias peccati, quarum remissio a Deo petenda est.

Differunt ne remissio peccatorum
et iustificatio?

15

Non differunt. Ideo iustificatio definitur, quod sit remissio peccatorum, [83:] reconciliatio cum Deo, imputatio iustitiae et acceptatio ad vitam aeternam.